



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae
doctissimorum virorum

Baluze, Etienne

Parisiis, 1677

19. De ictu servorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-19366

LXXRI-
PVARIO-
XXV.XI. *De homicidiis eorum qui in trasse Regis sunt.*

I. Si quis cum interfecerit qui in trasse regia est, sexcentis solidis culpabilis iudicetur. Et quicquid ei fiet, similiter sicut de reliquo Ripuario in triplum componatur.

II. De occisione ejus, si negaverit, cum septuaginta duobus juret.

III. Si quis regio aut ecclesiastico homini de quacunque libet re forciam fecerit, & per vim tulerit, in triplum sicut reliquo Ripuario componat.

XII. *De homicidiis mulierum.*

I. Si quis feminam Ripariam interfecerit, postquam parturire coeperit, usque ad quadragesimum annum, sexcentis solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum septuaginta duobus juret. Et ubicunque sexcenti solidi accedunt, simili modo cum septuaginta duobus juret.

II. Si ille homo pauper fuerit, ut infirmus solvere non possit, per tres decessiones filiorum solvat.

XIII. *De homicidiis puellarum.*

Si quis puellam Ripariam interfecerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum duodecim juret.

XVI. *De muliere ecclesiastica.*

I. Si quis feminam regiam aut ecclesiasticam parientem interfecerit, trecentis solidis culpabilis iudicetur, aut cum triginta sex juret.

II. Quod si puellam post quadragesimum annum interfecerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur, aut cum duodecim juret.

XV. *De homine mordido.*

Si quis ingenuus ingenuum Riparium interfecerit, & eum cum ramo cooperuerit, vel in puteo seu in quocunque libet loco celare voluerit, quod dicitur mordidus, sexcentis solidis culpabilis iudicetur, aut cum septuaginta duobus juret.

XVI. *De captivo homine vel femina ingenua.*

Si quis ingenuus ingenuum Riparium extra solum vendiderit, & iterum eum ad solum non potuerit reducere, sexcentis solidis culpabilis iudicetur, aut cum septuaginta duobus juret. Et si eum in solum reduxerit, ducentis solidis culpabilis iudicetur. Quod & de femina ingenua similiter convenit observare.

XVII. *De incendio.*

I. Si quis hominem per noctem latenter incenderit, sexcentis solidis culpabilis iudicetur, & insuper damnum & delaturam

restituat. Aut si negaverit, cum septuaginta duobus juret.

II. Si servus hoc fecerit, xxxvi. fol. culp. jud. & insuper damnum & delaturam restituat. Aut si negaverit, dominus ejus cum sex juret.

XVIII. *De fonesti.*

I. Quod si ingenuus fonesti, id est, duodecim equas cum amissario, aut sex scrovas cum verre, vel duodecim vacas cum tauro furatus fuerit, sexcentis solidis culpabilis iudicetur, & insuper capitale & delaturam restituat. Quod si multi ingenui fuerint, sicut in omni furto constituimus, unusquisque sexcentis solidis culpabilis iudicetur, & insuper capitale & delaturam restituat. Aut si negaverint, singuli cum septuaginta duobus jurent.

II. Quod si servus hoc fecerit, triginta sex solidis culpabilis iudicetur, & insuper capitale & delaturam restituat. Et si mul-torum servi fuerint, unusquisque per semetipsum similiter faciat. Aut si negaverint, domini eorum cum sex jurent.

III. Si homo ecclesiasticus aut regius hoc fecerit, medietate compositionis Francorum culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, cum triginta sex juret.

XIX. *De ictu servorum.*

I. Si ingenuus servum ictu percusserit, ut sanguis non exeat, usque ternos colpos, quod nos dicimus bunilegi, singulos solidos componat. Aut si negaverit, cum sex juret.

II. Si homo ecclesiasticus aut regius hoc fecerit, tribus solidis culpabilis iudicetur, aut cum sex juret.

III. Quod si servus homini regio aut ecclesiastico vel Franco hoc fecerit, per ternos ictus tres solidos componat. Aut si negaverit, dominus ejus cum sex juret.

XX. *De effusione sanguinis.*

I. Si servus ingenuo aut regio vel ecclesiastico homini sanguinis effusionem fecerit, quinto dimidio solido culpabilis iudicetur. Aut si negaverit, dominus ejus cum sex juret.

II. Similiter si ingenuus aut regius vel ecclesiasticus homo hoc fecerit, quinto dimidio solido culpabilis iudicetur, aut dominus ejus cum sex juret.

XXI. *De offe fracto servorum.*

Quod si ingenuus aut regius vel ecclesiasticus homo servo os frerit, novem solidis culpabilis iudicetur, aut dominus ejus cum sex juret.

XXII.